(10

DE CONCILIIS ROMANIS

PRIORIBUS IV. ECCLESIÆ SÆCULIS

DISSERTATIO

QUAM

AUSPICE S. JOSEPHO

PATRONO SUO BENEFICENTISSIMO

PUBLICE HABUIT IN SEMINARIO ROMANO

COMES TRAJANUS GADDI

EJUSDEM SEMINARII CONVICTOR.

ROMÆ, MDCCLV.

Ex Typographia Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

op
pr
C
nu
gi
ve
ro
C
ni
fc
ci
fi
d
ru
C
ci
n
n
c
a

DE CONCILIIS ROMANIS.

LAudandam esse Virorum doctorum diligentiam, qua veterum Synodorum Acta vel memoriam eruere e tenebris & in lucem proferre conantur, nemo prudens, modo sacris sit disciplinis vel leviter aspersus, dubitabit: quod nihil æque atque istud valere ad traditionem Catholicorum dogmatum confirmandam, & veterem Christianam disciplinam demonstrandam videatur; in quo multi cùm Græcorum, tùm Latinorum operam suam collocarunt. Merlinus vero, qui post antiquos illos primus huic maxime studio advigilasse dicitur, & post Merlinum Crabbius, Surius, Binius, Labbeus, Cossartius, Baluzius, Harduinus, & si qui alii, cùm sacris disciplinis, præsertim vero Theologiæ, tùm famæ ipsi suæ in omnem posteritatem consuluerunt. Alii vero, qui non omnia, ut isti, sed singularium regionum Concilia recensuerunt, Garzias Loaisa, Jacobus Sirmondus, Spelmannus, Odespun, Card. Aguirre, Bessinius &c. argumentum sumpsere minus sane splendidum, non minus tamen fructuosum, imo etiam fortasse magis. Etenim cum angustioribus terminis operam suam circumscripsissent, res considerare attentius, diligentius explorare singula, maturius proponere conjecturas suas, & quæ ad ea illustranda, utiliora videbantur, potuerunt. Mirum sane accidit, Conciliorum, quæ Romæ sunt habita, neminem hactenus fuisse qui separatim Collectionem instituеret, aut si instituit, evulgaret. Atqui vel Ecclesiæ dignitas, vel Synodorum habitarum numerus, impellere multos ad id conandum debuisset. Nam etsi *Romanæ Ecclesiæ* nomine, non universalem Ecclesiam intelligas, quæ Christianos omnes complectitur, idest *Romanos* (uti eos nominant, atque hanc vocem accipiunt, Lucifer Calaritanus, Theodosius junior, aliique passim), & sin-

& ſingularem Eccleſiam deſignes; eam nimirum appellas, quæ eſt *maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundata & conſtituta*; ut Irenæus *lib.3. cap.3.* ſcribit. De numero vero, palam eſt, hic multò plures, quam in cæteris Eccleſiis eſſe celebratas. Et libellus quidem Synodicus uſque ad Nicolaum Sæculo IX. Synodos numerat Romanas XXV. ex Recentioribus vero collectoribus colliges etiam CLXXV. Liceat ergo nobis in tam illuſtre argumentum commentari aliquid, & de Conciliis Romanis primò univerſim, deinde de ſingulis primorum IV. Sæculorum aliquid delibare.

II. Et primò quidem in genera quædam neceſſe eſt Romana Concilia partiri. Notum eſt enim plures veluti perſonas induere, muneraque diverſa ſuſcipere Romanum Epiſcopum, & præter univerſi Dominici gregis curam, *qua in toto mundo Sedes Apoſtolica, Eccleſiarum ſibi jure vindicat Principatum*, ut in Synodo ſub Bonifacio II. loquitur Echinienſis Epiſcopus; Patriarcham eum eſſe Occidentis totius, ampliſſimæ provinciæ Metropolitam, denique Epiſcopum urbis Romæ; ut fuſe Leo Allatius *de conſ.*, Sirmondus *de Eccl. Suburb.* Morinus *lib. 1. Exercit.* aliique paſſim tradunt, innuitque idem Theodoſius Echinienſis Epiſcopus. Erit ergo primum Conciliorum genus *Patriarchale*, coactum ex Epiſcopis univerſi Romani Patriarchatus. Hujuſmodi fuiſſe affirmat Lateranenſe a Stephano III. a. 869. congregatum Cl. Cennius, atque animadvertit (*Differt. cap. 1. n. 4.*), eſſe hujuſmodi Concilia rariora; quod Romanorum Pontificum benignitas nollet Epiſcopos longe diſſitos itineribus fatigare, malletque, Apoſtolica poteſtate alicui delegata, Epiſcoporum animos explorare. Jus Romano Pontifici convocandi Synodum provincialem bene vindicat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 2. cap. 2.* atque hujuſmodi fuiſſe Synodum docet, quæ a. 1725. habita eſt a Benedicto XIII. Superioribus vero temporibus aliæ etiam id genus Synodi celebratæ videntur, ut a Bonifacio IV. ex Beda *lib. 2. cap. 4. Cum idem Papa Reverendiſſimus cogeret Synodum Epiſcoporum Italiæ*, a Gregorio II. &c. Diœceſanæ Synodi Romanæ frequentiores olim fuere; recentioribus temporibus rariores; imo *poſtremis hiſce temporibus nullam inveniri Synodum Diœceſanam a Romanis Pontificibus coram ſe coactam*, teſtis eſt in eodem laudato opere BENEDICTUS XIV. docens aliquas hujuſmodi Synodos celebratas a Cardinali Urbis Vicario. Nihil hic dicimus de alio Synodorum genere, quæ ab inferioribus Prælatis, ſive Decanis, ſive Officialibus cogebantur, & *Capitula*, *Conſiſtoria*, *Calendæ*, *Seſſiones*; *Synodi* etiam appellabantur. Nam utcumque receptiſſimum eſſet hoc Synodorum genus in Gallia, Anglia, Germania; nullum forte exemplum ante S. Carolum in Italia tota invenitur, ut Thomaſſinus *part. 2. Vet. diſc. lib. 3. cap. 76.* adnotavit.

III. Erat vero alia præterea Synodus Romæ, eaque frequentissima, sive perpetua, quæ ex Clero ipso Romano constabat, atque ex Episcopis, quicumque Romæ aliarum etiam provinciarum invenirentur. Romanam sub Bonifatio II. fuisse hujusmodi, aliasque ex editis etiam complures, docet Lucas Holstenius. Nam, *ut cæteri minores Episcopi* (ait vir doctus *in observat.*) *ad res Ecclesiasticas dirigendas suæ cujusque civitatis Presbyteros ad consilium vocabant, quia collatis in unum multorum Sententiis facilius quod ex usu est perspicitur; ita quoque Romani Pontifices, etiamsi per se soli summa rerum custodiendarum auctoritate pollerent, ad deliberationes tamen & consilia Ecclesiastica Presbyteros Urbis & Episcopos, qui forte aderant, aut e propinquo ad ipsum accersebantur, adhibere ab antiquo consuevere.* Præfatus etiam ante fuerat; *vel leviter in Ecclesiastica Historia versatos scire, moris fuisse antiqui, ut quoties de gravioris momenti negotio ad Apostolicam cæterasque majores Sedes referretur; non solum Clerus Urbicus, sed etiam Episcopi in comitatu commorantes ad consilium* ~~*commune, deliberationemque convocarentur, quæ viri*~~ docti verba laudat Garnier *Dissert.2. de Synod. hab. in caus. Pelag. pag.194.*, & Cl. P.Bianchi *tom.5.p.1.pag.97.* Non Romani Episcopi id fuisse peculiare, sed idem fecisse Constantinopolitanum, Thomassinus *part. 2. Vet. Disc. lib.3. cap. 43.* tradidit, & Holstenius idem; monens, eam Græcos τὴν ἐπιδημοῦσαν, vel ἐνδημοῦσαν σύνοδον appellasse. Synodi hujus habendæ consuetudinem, etiam vacante Sede servatam, ex eodem Holstenio disces, imo ex Cypriano; cui *Presbyteri & diaconi Romæ consistentes* scribunt *ep. 31.*, placere *collatione consiliorum cum Episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem*: ac paulo post; *Cujus*, ajunt, *temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes diu, & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus.* Hoc Synodi genus *Compresbyterium* primum dictum, mox *Consistorium*, quod nomen nunc quoque servat, eodem loco habet Holstenius, atque huc putat spectasse Hieronymum *Comment. in Isai. lib.2. cap.3.* scribentem; *Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.*

IV. *Consistorii* nomine venit sæpe ipse locus, ubi Synodus celebratur. Itaque Romana Synodus sub Bonifatio II. hoc initium habet: *P.C. Lampadii & Orestis VV. CC. sub die VIII. Id. Decembr. in Consistorio B. Andreæ Apostoli: præsidente Ven. Viro Papa Bonifatio* &c. quod etiam repetitur initio *Act. II.* vocabulo nimirum a civilium principum usu accepto. Et Consistorium quidem S. Andreæ fuisse videtur Basilica huic Apostolo dedicata a Symmacho, ut Anastasius refert, cujus locum Basilicæ S. Petri in Vaticano proximum

nuum describit Ciampinus *de sacr. ædif. Constantini M. cap.* 4. *sect. xj.* præsertim cum hoc ei in morem fuisse Anastasius de hoc Bonifacio narret ; *Hic congregavit Clerum in Basilica B. Petri Apostoli* ; imo quæsitum olim in Conciliis celebrandis locum quoquomodo S. Petri Reliquiis proximum, ut verum esset *coram Beatissimo Petro* tractatum haberi, ut Leo Papa significat *Ep. olim IV. cap.* 7., & vetera monumenta ostendunt, & præclare animadversum est a Viris eruditis, qui Sancti Leonis illam epistolam, (quam a Quesnello illi Pontifici ereptam restituerunt) illustrarunt *in Bullar. Vat. tom.* 1. *pag.* 1. prolatis hujus rei plurimis exemplis. Nec tamen id fuit omnino perpetuum. Nam initio Concilii Romani sub Hilaro a. 465. celebrati legitur (*tom.* 2. *coll. Hard. col.* 799.) *Flavio Basilisco & Herminerico Viris clarissimis Coss. sub die XVI. Kalend. Decembr. residente Viro venerabili Hilaro Papa in Basilica B. Mariæ* &c. Frequentissima fuisse inferioribus temporibus Concilia habita in Laterano, omnes norunt ; nec aliud in locis seligendis magis spectatum puto, quam ubi Romanus ipse Pontifex habitaret. Cardinalis Rasponus *de Patriarch. Lateran. lib.* 2. *cap. XI.* & *lib.* 4. *cap.* 4. nonnulla etiam ex antiquioribus Conciliis memorat, vel in Lateranensi Ecclesia ipsa, vel in Patriarchio Lateranensi celebrata. Ante etiam quam utrumque extrueretur, Synodum in Laterano habitam narrat S. Optatus *lib.* 1. *cap.* 23. *Ad urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino IV. & Licinio III. Coss. VI. non. Octobr. die sexta feria. Cum consedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ* &c. Atque ex dictis etiam constat, vel in Ecclesia habitas Synodos, vel in oratoriis, vel in ædibus Pontificis ipsius ; in Lateranensi præsertim Triclinio a Leone III. constructo.

V. De tempore quod esset Synodis habendis constitutum, breviter dicam ; non esse dubitandum, id servasse Romanos Pontifices quod jamdiu fuerat Episcopis omnibus præscriptum. Celeberrimus est Canon Apostolicus ex vers. Dionysii 38. *Bis in anno Episcoporum CC. celebrentur, ... semel quidem quarta septimana Pentecostes ; Secundo vero, duodecima die mensis Hyperberetæi id. juxta Romanos IV. Id. Octobris* ; cui consonat Nicænus V. Atque huc nimirum spectat S. Leo *ep. olim.* 84. *cap.* 7. scribens Anastasio Thessalonicensi ; *De Conciliis autem Episcopalibus non aliud indicimus, quam quod SS. PP. salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur* : & S. Gregorius *lib. XIV. Ind. VII. ep.* 17. *Et quidem quia adhibendum bis in anno Concilium Patrum sit regulis institutum, non latet.* Etsi postea *ne forte aliqua excusatio sit*, id illi, Felici nimirum Messanensi Episcopo indulget, ut semel congregetur. Qui hæc adeo sedulo aliis præscribebant, credamus ipsos non servasse diligentissime ? Atque hinc frequentissima illa Synodorum

Ro-

Romanarum mentio. Atque hoc etiam ex veteribus monumentis liquet, quotannis Synodum Romæ celebratam in natali Pontificis. Natalem vero diem, diem Ordinationis intelligebant. In Diurno *cap. 3.* habetur Titulus XIII. *Invitatoria ad Episcopum in natali Papæ.* Atque hac occasione Synodum celebratam, ipsa epistola testatur, quæ est hujusmodi; *Dei nostri misericordia favente Ill. dies, in quo Episcopatus mei est natalis adproperat, ad quem ex more missis a me litteris invitaris: decet enim, frater carissime, ut ejusdem particeps festivitatis existas, & fraternæ Congregationi præsentiam tuæ dilectionis accomodes, ut ea inter nos, quæ mos Ecclesiasticus exigit confirmemus.* Testatur vero hoc & Sixtus in epistola ad Cyrillum, & in epistola ad Jo. Antiochenum; Hilarus vero in epistola ad Ascanium; *Lectis in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris &c.* Non erat hoc ita proprium & peculiare Romani Episcopi, ut idem alii quoque non factitarent. Testis S. Augustin. *qui serm. 32. de Verb. Dom. Quod novit caritas vestra suggerimus; ~~dies anniversarius Domini senis Aurelii crastinus~~ illucescit; rogat & admonet per humilitatem meam charitatem vestram, ut ad Basilicam Fausti devotissime venire dignemini.* In eo vero cæteris præstitisse Romanus Episcopus videtur, ut etsi illi soli evocarentur, qui Ordinationi Sedis Apostolicæ subjecti erant, alii tamen ex aliis & remotissimis provinciis convenirent. Quod pariter Hilarus docet ep. 8. *Præsidente fratrum numeroso Concilio, & ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in honorem B. Petri Apostoli per Dei gratiam congregato &c.*

VI. Atque hæ quidem veluti ordinariæ Synodi. Extraordinariis enim, si quæ causa esset eas congregandi, nullus poterat esse constitutus dies. Congregandarum vero harum Synodorum omnes habebat causas Romanus, quas alii Episcopi habebant; quasdam vero præterea proprias & suas, vel in quibus maxime eminebat. Et primò quidem; cum ad fidei sinceritatem asserendam contra enascentes hæreses, Synodi congregentur; plerumque in aliis Ecclesiis Synodi cogebantur, ad eas evellendas hæreses, quæ erant in proprio veluti solo exortæ. In Romana Ecclesia, in qua nullam saltem pestilentiorem, & diuturniorem excitatam hæresim, testis est Rufinus; nihilominus contra errores, qui in Oriente atque in remotissimis Provinciis serpebant, ad eos excindendos evellendosque plurimæ Synodi coactæ sunt. Deinde ad emendandam sustinendamque labantem disciplinam exterarum regionum, consultus respondebat Romanus Pontifex; quod in Synodo facere solitum supra diximus. Tertia etiam causa repeti potest ab appellationibus quæ ad Romanum Pontificem fiebant, & judiciis quæ ipse exercebat; atque hæc in Synodo. Erat & IV. quædam causa, ut aliquem honoraret. Consuevisse in Synodis, Reges, sive Regum Oratores ex-

excipere, easque ob hanc causam congregare veteres cæremoniales libri, atque historici testantur. Eædem Synodi cogebantur cum Episcopus aliquis ordinabatur. Itaque in libro Diurno *cap. 3.* est Titulus IX. *Synodale quod accipit Episcopus*: quæ quidem formula paucis immutatis, antequam liber ille conficeretur, inter Gelasii Epistolas reperitur, & apud Gregorium M. Atque appellari Synodale, docet Garnerius; *partim quia mittebatur ex Synodo Romæ ἐνδημούσῃ a Summo Pontifice; partim quia legebatur in Synodo Ecclesiæ, cui præpositus erat Episcopus*. Atque idem adnotat, liquere ex *Ordine Romano* convenisse Episcopos ad Ordinationem Romæ factam; convenisse pariter Episcopos vicinos, cum Clero, & plebe Ecclesiæ Episcopum excepturæ ad celebrationem natalis diei. Atque illud peculiare erat Romani Pontificis; ut cum ejusmodi litteræ ex ejus Synodo mitterentur, solus ipse subscriberet, ut bene Garnerius animadvertit *l. all.* & Coustant. *in ep. RR. PP. col.* 94.. Cum vero e Synodo alicujus Metropolitani pari de causa mittebantur; non solus Metropolitanus, sed omnes etiam Episcopi, qui intererant, addebant subscriptionem suam. Postremi hujus generis Synodi, non erant tantum honorariæ; sed cum ea occasione (ut olim etiam factum accepimus in dedicatione Ecclesiarum) Ecclesiastica negotia tractarentur; vera Concilia habentur, & haberi debent.

VII. Quod pertinet ad ritus, aut Romanæ Ecclesiæ proprios in Synodis celebrandis, aut maxime notabiles; cum in Synodo sub Bonifatio II. dicatur *Præsidente venerabili viro Papa Bonifatio, una cum Sabino &c. Episcopis: residentibus etiam Sanctulo &c. Presbyteris; adstantibus quoque Tribuno, Agapito, Donato, & Palumbo Diaconibus*: & idem postea repetatur sessione nimirum II. item in Synodo Eugenii II. *part.* 2. *pag.* 11. *&c.* Holstenius animadvertit, hunc, & Gelasium *epist. VI.* præcipere, Diaconos non in Presbyterio residere cum Divina celebrantur, vel Ecclesiasticus habetur quicumque tractatus. In Concilio Lateranensi quod Cl. Cennius vulgavit, ibi quoque Archidiaconus stans describitur una cum Monachis aliisque; *Adstante etiam Anastasio Archidiacono, & cunctis religiosis Dei famulis, tam Latinorum Monasteriorum, vel Græcorum Cynoviorum, atque Proceribus Ecclesiæ, & cuncto Clero, optimatibus etiam militiæ, seu cuncti exercitus, & honestorum Civium, & cunctæ generalitatis populo*. Multa in hanc rem Baronius referens *ad ann.* 402. *n.* 44. Anastasii Papæ decretum quoddam. Celebre est Hieronymi illud *ep.* 146. *edit. Vallars. num.* 2. *Sed dices, quomodo Romæ, ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemtibiles facit. Ceterum etiam in Ecclesia Romæ, Presbyteri sedent, & stant Diaconi*. Hoc præscribitur etiam in

in Ordine Romano *ap. Mabillonium XIV.* ubi *de ordine qui observatur in celebratione Concilii generalis* . Dicitur enim (§. CIV.) *Et corona facta de sedibus Episcoporum Presbyteri a tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid, & definire possunt . Diacones in conspectu Episcoporum stent* . Alia res est de Diaconis Cardinalibus, de quibus Marcellus *lib.* 1. *cap.* 5. Sed in allatis Ordinis Romani verbis aliud est præterea, quod observandum docet Mabillonius; nimirum de suffragiis Presbyterorum in Concilio etiam provinciali. Tale enim Concilium significat ille titulus.

VIII. Episcoporum numerus, quive eorum Conciliis Romanis interesse consueverint, colligi sæpius ex subscriptionibus posset, si illæ integræ ad nos pervenissent. Sed Romana Concilia in hoc vicem aliorum Conciliorum passa sunt, in quibus corruptissima plerumque nomina leguntur, neque omnium PP., sed paucorum. Nihilominus ex iis multa eaque præclara eliciuntur, præsertim quæ ad Patriarchatus, sive Provinciæ amplitudinem spectant. Cl. Cennius ex illo Stephani III. Concilio contendit, inter XII. Francorum Episcopos unicum Metropolitam adfuisse Senonensem; & de ceteris Ecclesiasticis Provinciis fuse disputat, Galliarum præsertim, & Italiæ. Si vetustissima tempora exploramus; nos eorum sententiæ accedimus, qui unum in Italia, imo in Occidente fuisse Metropolitam Romanum Pontificem volunt saltem ad sæculum IV.

IX. Nunc de singulis Romanis Synodis primorum IV. sæculorum. Et libellus quidem Synodicus quem Joannes Pappus, & postea Justellus, aliique ediderunt, antiquissimam habet Synodum Romanam, congregatam a Telesphoro contra Theodorum Coriarium, cui duodecim interfuisse Episcopos narrat. Proximam vero huic ponit alteram Aniceti, contra Quartadecimanos; in qua præter Anicetum, & Polycarpum interfuisse ait alios Episcopos X. Verùm de Theodoro a Telesphoro damnato Veteres omnino silent, idque tribuunt Victori; Eusebius *lib.* 5. *cap.* 28. Theodoretus *lib.* 2. *Hær. fab. cap.* 5. *&c.* Unde ergo id Synodicon hauserit equidem ignoro. Victori idem libellus postea *n.* 19. aliam Synodum Romanam tribuit, *quæ Theodorum, Æbionem, & Artemonem proscripsit* . Hanc postremam solam esse veram, Labbeus, & Coustant (*col.* 60.) volunt. De Aniceto vero, etsi testis est Irenæus *apud Euseb. lib.* 5. *cap.* 24. ad eum venisse Polycarpum, & de die Paschatis contulisse; idem tamen narrat, *cum pace a se invicem discessisse, tam iis qui observabant, quam illis, qui minime observabant, pacem communionemque totius Ecclesiæ retinentibus*. Hæc Irenæus Victori scribit; qui quidem Victor Synodum ipse Romanam, hanc quæstionem ut dirimeret, coegisse narratur ab Eusebio *cap.* 3. atque extitisse suo tempore, ait

Eusebius, *Epistolam Synodi Romanæ, cui Victoris Episcopi nomen præfixum est*. Anastasius in Victore; *Hic fecit constitutum ad interrogationem Sacerdotum de circulo Paschæ cum Presbyteris & Episcopis facta collatione*. Itaque prima hæc Synodus Romana, cujus expressa memoria habeatur, ab eruditioribus Conciliorum collectoribus recenseri solet. Tertia est hæc Romana Synodus Libello Synodico, cui præter Victorem intervenisse narrat Episcopos XIV., & vetuisse *Judaice celebrari Luna XIV. sanctum & mysticum Pascha, sed in sola magna & vitæ præstatrice Dominica*. Sed alteram illam ejusdem Synodici, quam diximus, esse rejiciendam Coustantio (*col.* 73.) consentimus. Est præterea alia quædam Synodus Romana sub Victore ab eodem Synodico memorata; *quæ Sabellium & Noetum abdicavit, qui de Divinitate in tribus Personis subsistente, contractionem & commixtionem Personarum divulgabant; Valentinum item, qui, præter ceteras ineptias, corpus etiam Christi cæleste asserebat*. Hos, aliosque Hæreticos a Romano Pontifice damnatos fuisse, facile credo; idque, ut moris erat, in Synodo: verum hic eas Synodos dumtaxat commemoramus, quarum ad nos notitia pervenit.

X. Sunt ergo Synodi aliæ, quarum Veteres meminerunt; nimirum præter eam Victoris, Secunda contra Origenem. Hieronymus in fragmento epistolæ ad Paulam (quod servavit nobis Rufinus *lib.* 2. *Invect. num.* 19. *edit. Vallars. tom.* 2.) *Damnatur a Demetrio Episcopo exceptis Palæstinæ, & Arabiæ, & Phœnicis atque Achajæ Sacerdotibus. In damnationem ejus consentit urbs Romana: ipsa contra hunc cogit Senatum* &c. Harduinus habitam hanc Synodum a Fabiano existimat; quod nimirum ad eum scripsisse apologiam, sive epistolam de fide sua scribat Eusebius *lib.* 6. *cap.* 36. *Sed & ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites de recta Fidei suæ ratione epistolas scripsit*. Addit Hieronymus ep. 84. pœnitentiam ibidem suam professum; *Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum pœnitentiam agit, cur talia scripserit*. Verum si temporum rationem ineamus; sub Alexandro Severo hæc Origenis a Demetrio ceterisque Episcopis damnatio facta videtur, atque ante Maximini Imperium collocat Huetius *Origen. lib.* 1. *cap.* 2. Ceillerius etiam Hist. *Auct. sacr. tom.* 2. *pag.* 593. id a. 231. evenisse putat, quem annum esse emortualem Demetrii statuit Renaudotius *in Hist. Patriarch. Alex. pag.* 24. Sollerius *in ead. Hist.* Eam consignat anno sequenti Baronius. At postea sedit Fabianus Papa. Itaque sub Urbano sive Pontiano necesse est coactam esse hanc Synodum. Vidit hoc Coustant. (*col.* 116.) eamque Pontiano adscribit.

XI. III. Synodus habita est a Cornelio in causa de lapsis. Testis est S. Cyprianus *epist.* 52. (*pag.* 67. *edit. Paris.* 1726.) *Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbitur, etiam Romam*

nam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito Concilio in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit. De eadem Synodo *ep.* 68. *pag.* 119., ubi postquam Basilidem & Martialem frustra sibi Episcopatum usurpare dixit, subdit; *maxime cum jampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, Sacerdos pacificus, ac justus, & martyrio quoque, dignatione Domini, honorandus decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti* &c. Cum vero de hoc lapsorum negotio jampridem scriptum esset Romam ab Africanis; & vacante Sede per obitum Fabiani, Clerus Romanus respondisset, *in suspenso causam tenendam*, nihilque innovandum ante constitutionem Episcopi; videtur, creato Pontifice Cornelio, cum nulla causa superesset, cur ea res diutius in suspenso teneretur, continuò expeditam, coacto Concilio. Itaque initio Pontificatus Cornelii videtur hæc Synodus consignanda a. 251. Posset & illa Cleri Romani, Sede vacante, Synodus, de qua etiam superius diximus, in hunc Conciliorum Romanorum numerum conferri. An vero conferenda est alia, quam præter superiorem, Cornelio pariter tribuit Harduinus de ejectione Novati? Synodum hanc, in qua de Novato actum, memorat Eusebius *lib. VI. Hist. cap.* 43. Nam ubi de Secta a Novato conflata dixit; addit: *Ob quam rem cum Romæ congregata esset Synodus, in qua LX. quidem Episcopi, Presbyteri vero, ac Diaconi multo plures convenerunt .... hujusmodi decretum cunctis promulgatum est; Novatum quidem, & eos qui cum ipso sese insolentius extulerant .... alienos ab Ecclesia habendos esse; fratres vero, qui casu ac tentatione lapsi fuerant; pœnitentiæ remediis curandos, & confovendos esse. Extant adhuc epistolæ Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensem, in quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam & Africam, aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur*. Videtur mihi hic eadem prorsus describi Synodus, quam Cyprianus descripserat, nec ulla urgere necessitas admittendi alteram. Scribit quidem Hieronymus *in Catal.* de Cornelio; *scripsit epistolam ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana .... & aliam de Novatiano .... tertiam de gestis Synodi*; nec tamen duabus litteris, duplex Synodus significatur, sed de una eademque Synodo duplex erat epistola. Rem explicat Syncellus, sive Dionysius potius ap. Syncellum *pag.* 371. *Huic autem Synodo Cornelius Romanus Episcopus præsedit, prout ipse Fabium Antiochenum Episcopum a Concilio absentem epistola monet Synodica, & rursus alia privata* τῇ συνόδῳ ϗ πάλιν ἰδίως: erat ergo altera epistola Synodica, altera privata, qua rem totam & acta in Synodo amice narrabat. Quæ epistolæ essent *privatæ* fuse Ferrarius, Priorius, Bencinus explicant. Bene ergo Synodicus

n. 21. unicam Cornelio Synodum tribuit. Errat tamen cum ait *congregatam a Cornelio, aliisque XVIII. Episcopis*. Nam LX. fuisse idem Dionysius apud eumdem Syncellum testatur, scribens de Novato: *Ex Ecclesiæ Paradiso Sanctorum LX. Patrum Romam convenientium decreto expulsus est*.

XII. Synodum sub Stephano habet libellus Synodicus, *quæ eos qui in Africana Synodo sine ratione concesserat eos rebaptizari, qui ex quacumque hæresi ad Catholicam accederent Ecclesiam, abdicavit*. Eamdem & Harduinus numerat allegans Eusebium *lib. VII. cap.* 3. & Cyprianum *ep.* 74. ad Pompejum. Verùm utroque in loco epistola quidem Stephani significatur, distincta Synodi mentio, qualem hic quærimus, non habetur. Subindicare eam potius videtur Vincentius Lirinensis *in Common. n. 9. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent .... tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum ceteris Collegis suis, sed tamen præ ceteris restitit*. Sed quòd his verbis aliæ aliis in regionibus celebratæ ab Episcopis Synodi venire possint, Quartam nos facimus, quæ celebrata est a Dionysio in causa cognominis Alexandrini. Testatur hoc Athanasius *de Synodis n.* 43. *Duo Dionysii extitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Episcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum Episcopum Alexandrinum detulissent, quod filium rem factam & non consubstantialem affirmaret, Synodus Romæ coactà rem indigne tulit; Romanus autem Episcopus omnium sententiam rescripsit ad gentilem suum*. Atque hic Athanasii locus optime confirmat quod supra diximus; solum Pontificem nomine suo Synodicam scribere consuevisse. Hinc etiam explicandus idem Athanasius *in ep. de sent. Dionys. n.* 13. ubi nihil de Synodo habet, sed solùm de Dionysii Romani epistola. Dionysii Alexandrini *secundam ad sibi cognominem epistolam de accusatione ac defensione*, memorat etiam S. Basilius *de Sp. S. n.* 72.

XIII. Celeberrima est Synodus sub Melchiade in causa Donatistarum quam nos Quintam numeramus. De hac libellus Synodicus *n.* 29. ait, *Collectam Romæ a Miltiade sanctissimo Papa, & Marco Sanctissimo, & Cæciliano Carthaginis Episcopo super unione Episcoporum*. Cæcilianus quem hìc postremo loco nominat erat is, cujus causa Concilium Constantini jussu coactum est, ut patet ex Constantini ipsius epistola ad Melchiadem apud Eusebium *lib. X. cap.* 5. *Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum X. Episcopis qui accusare ipsum videntur, & cum X. aliis, quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino collegis vestris, quos ea causa Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optime nostis*. Non ergo vere collectum Concilium a Cæciliano, sed Cæciliani causa; Marcum vero nomina-

vit

vit Synodicus, opinor, quod in titulo litterarum Constantini invenit. Sed quis iste Marcus? Baronius corruptum locum existimavit, legendumque καὶ ἱεράρχῃ. Rejicit hanc conjecturam Baronii Valesius, quod insolens sit vocis ejus usus hoc modo. Valesio adhæret Coustant. *col.* 325. Perronius pro καὶ Μάρκῳ legit χρόνον μακρὸν *longam vitam*. Displicet hoc pariter Coustantio, quod hæc precatio non initio, sed in epistolæ fine soleat apponi; nec tamen ipse habet, quo locum hunc explicet. Valesius putat Marcum hunc esse eum, qui Silvestro successit, & tunc Presbyter erat Romanæ Ecclesiæ, atque una cum Miltiade interesse huic Synodo voluit Constantinus. Optatus tamen inter datos judices a Constantino hunc Marcum minime recenset, nec inter eos, qui illi judicio affuerunt. Nam de hac Synodo *lib.* 1. *cap.* 23. *Dati sunt judices Maternus ex Agrippina Civitate, Reticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis, & ab aliis XV. Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino IV. & Licinio III. Coss. VI. Non. Octobr. die VI. feria. Cum consedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Reticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani, & Merocles a Mediolano, Florianus a Sinna, Zoticus a Quintiano, Stennius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Sabinus a Terracina, Secundus a Præneste, Felix a Tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Domitianus a Foro Claudii. His decem & novem consedentibus Episcopis, causa Donati, & Cæciliani in medium missa est.* Alii *Maroclem* mallent in epistolæ titulo pro Marco, sed eodem modo refelli possunt; quod inter judices non recenseatur. Augustinus præsedisse huic Synodo Melchiadem affirmat *lib.* 1. *contr. Jul. cap.* 3. *n.* 7. ubi de Reticio; *In urbe Roma, Melchiade Apostolicæ Sedis Episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit*. Ceterum, quod apud Optatum dicebatur, illud actum *Constantino IV. Licinio III. Coss.* ita legi in mss. Du Pinius testatur. Sed legendum certe est *Constantino III.* vel ex ipso Augustino *in lib. ad Donat. post Collat. n.* 56. Sed hic iterum scrupulus; cur enim dicitur *Licinio II.*? *Nam*, inquit, *Melchiades judicavit Constantino III. & Licinio iterum Coss. VI. Non. Octobr.* (*tom.* 9. *col.* 614.). Confirmari tamen lectio Augustini potest ex lege 1. *C. Theod. de cens.* 104. *adscript.* in qua habetur *Constantino IV. & Licinio III. Coss.*: & quamquam hanc quoque subscriptionem Gothofredus mendosam censeat; eam tamen defendit Pagius *ad an.* 311. quod nimirum primus Licinii consulatus, quia suffectus fuit, potuit prætermitti, vel numerari. Melchiadis sententiam laudat idem Aug. *ep.* 43. *num.* 16. (*tom.* 2. *col.* 95.). Eam Optatus recitat; *Cæcilianus omnium supra memorato-*

to-

torum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam *Miltiadis sententia, qua judicium clausum est bis verbis ; Cum constiterit Caecilianum ab iis qui cum Donato venerunt juxta professionem suam non accusari ; nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit ; suae communioni Ecclesiasticae integro statu retinendum merito esse censeo* : quasi diceret, ut Albaspinaeus animadvertit, etiam a Summo Pontifice absolutum, post cujus judicium, de Caeciliani innocentia dubitari omnino non licere.

XIV. Nescio quam Synodum memorat scriptum Hadriani Papae *pro Nicaeno II.* (*Tom.* 4. *Hard. col.* 797.) ; *In ipsis enim exordiis Christianorum, cum ad fidem converteretur Imp. Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum XII. Scribis, & Pharisaeis, ac Magistris, & Principibus Judaeorum in urbem venit Romam ; & ipsa una cum filio suo Constantino Aug. Concilium Judaeos cum Christianis facere censuerunt, in quo praesidens S. Papa Silvester cum pluribus SS. Episcopis in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per Sacram Scripturam, quamque per miracula, Domino protegente, victores effecti sunt*. In Concilio Basileensi (*tom.* 8. *Hard. col.* 1331.) dicitur Silvester disputasse ; *Silvester in Concilio Romano publice disputavit cum XII. Scribis Judaeorum, quibus & per Christum, & Apostolos, per tot annos ante, veritas Christianae Fidei praedicata fuerat ; & in ea disputatione dati fuerunt judices duo gentiles Ciritbon, & Zenopbilus*. Theodorus Urie (*in Histor. Conc. Constant. prof. lib. IV. dist.* 2.) *Deinde currente tempore sub magnifico, & Illustrissimo Rege Constantino in Vrbe Roma congregatum est Concilium ; an lex Judaeorum legi novae debeat anteferri. Erant ibi Episcopi Christiani provinciarum diversarum LXXV. Judaeorum vero Sacerdotes CCXX., exceptis XII. Scribis, quos Isachar Pontifex misit altercandi gratia, non solum Hebraeo, sed etiam Graeco, & Latio sermone elimatos. In quo Concilio Constantinus, & mater ejus fuerunt auditores, judices vero duo Philosophi, qui nec Judaei erant, nec Christiani. Quorum unus Crathon, alter Zonophilus dictus est. In quo conflictu Judaei victi sunt, & fideles effecti &c.* Neminem credo futurum qui, ut hoc admittat, hujusmodi testibus contentus sit. Illud hauserunt ex S. Silvestri Actis *pro non exigua parte falsi convictis ; quae est hodie litteratorum ferme omnium receptissima opinio*, ait Sollerius *ad d.* 31. *Dec. Vsuard.* Hoc Marianus Scotus an. 327. consignavit. Alia Concilia sub Silvestro ponuntur a primis Conciliorum collectoribus. Petrus Crabbe in prima editione an. 1538. ponit primò (*pag.* 161.) Concilium hoc titulo *Concilium, quod S. Papa Sylvester celebravit praesente Constantino Augusto in urbe Roma intra Thermas Domitianas cum CCLXXV. Episcopis, qui in ipsa Synodo convenerant vocati a Beato Sylvestro*. In hoc Nicaenum Concilium confirmatur. Sequitur alte-

te-

terum ; quod dicitur in *epilogo* actum *eodem tempore & XIII. Kal. Jul. die, quando memoratum Concilium magnum in Nicaea congregatum est* ; & in Actis cum *Constantinus baptizatus esset a Sylvestro Episcopo Urbis Romae, & emundatus fuisset a lepra*. Eadem Concilia habet in altera editione. Quare non ea primus vulgavit Surius. Nemo haec, cujus farinae sint non videt. Nihilominus alterum hoc a Labbeo vulgatum est *primo tomo pag.* 1544. primum vero *tom.* 2. *pag.* 410. Cabassutius haec sibi examinanda sumpsit, nec difficile profecto fuit detegere suppositionis notas.

XV. Non multum ab his differt Romana Synodus sub Julio apud Harduinum *tom.* 1. *pag.* 567. Labbeum *tom.* 2. *pag.* 527. post Binium, & antiquiores. Labbeus admonet ab aliquibus farraginem vocari, ab Isidoro in Concilii formam redactam ex Tripartita, aliisque. In his est Pagius *ad an.* 337. *n.* 10. Repugnant (ut caetera omittamus) notae Chronologicae, Feliciani Consulatus (cui falsò etiam addit Maximianum cum sit Titianus an. 337.) & Indictio VI. Haec excusare conatur Hieronymus Rubeus in *Histor. Ravenn.* & Binius. In eo Nicaena Fides confirmatur, anathematizantur Ariani. Convenisse dicuntur CXVI. Episcopi. De hac Synodo Vir doctissimus Jo. Franciscus de Rubeis *Mon. Eccl. Aquil. cap.* 5. *Hocce documentum . . . inter spurias merces ablegari jubent quique viri docti*. In his praecipuus est Bacchinius *dissert.* 1. *in Agnellum*. Baronius, qui hanc Synodum admittit fuseque narrat *ad an.* 337. *n.* 67., plures alias a Julio congregatas affirmat ; imo frequentes fuisse ait *ad an.* 342. *n.* 34. Itaque in causa Athanasii duas ab eo habitas ponit ; unam *ad an.* 341. *n.* 46. post Synodum Antiochenam ; alteram *ad an.* 342. *n.* 28. post cladem Alexandrinam, ex qua litteris Eusebianorum expostulantium, quod Athanasium ad communionem admisisset, rescripserit. Duplicem hanc Synodum habet & Labbeus *tom.* 2. *col.* 598. & 606. Harduinus *tom.* 1. *col.* 567. & 609. Verum unam tantum Synodum esse admittendam fuse docuit Valesius *lib.* 1. *Observat. Eccl.* & Pagius *ad an.* 342. *n.* 3. quam celebratam etiam docent an. 342. Quid in hac Synodo actum sit fuse refert Julius ipse in epistola ad Eusebianos, quam Athanasius Apologiae suae contra Arianos inservit *a num.* 21. Ibidem n. 20. & locum ubi habita est & Episcoporum numerum, qui interfuerunt explicat ; *Congregati demum Episcopi plusquam quinquaginta quo loco Vito presbyter conventus agebat, nos cum nostram defensionem audivissent ad communionem, & agapem admittendos statuerunt*. Athanasium vere appellasse ad Julium Papam, contra Natalem Alexandrum, sentimus.

XVI. Sunt qui aliam sub Julio Romanam Synodum inducunt, in qua fuerit Photinus damnatus ; ex Hilario nimirum *fragm.* 2. *n.* 19. *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui antebien-*

biennium jam in Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes ... Quam opportunitatem nacti Ursacius, & Valens Romanæ plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex consilio veniam, quam probant, impertit, ut cum lucro Catholicæ Ecclesiæ vires quoque detraberet Arianis; subditurque post recitatum exemplum epistolæ Valentis, & Ursacii ad Julium Papam; *Hæc epistola post biennium missa est, quam Hæresis Photini a Romanis damnata est*. Notæ sunt duorum doctissimorum hominum Petavii, & Sirmondi hac de re disceptationes a Baluzio editæ *inter opusc. Petri de Marca pag.* 451. *an.* 1681. & postea a Baune *tom.* 4. *Oper. Var. Sirmondi*. Petavius postrema verba *a Romanis damnata est* non de Synodo aliqua Romana, sed de Mediolanesi interpretatus est, quæ Catholica fuerit an. 347. diversa ab Ariana an. 355. Novam etiam cudit Sirmiensem Synodum celebratam an. 349. quæ præcesserit pariter Sirmiensem alteram an. 351. Adnotator quoque Hilarii Petavio consensit illud *a Romanis* non in Romana urbe congregatos Sacerdotes, sed Occidentales adeoque Mediolanensem Synodum significare, deinde etiam suspicatur apud Hilarium legendum *eo consilio*, nimirum quod sequitur, *ut vires detraheret Arianis*. Petrus de Marca, Synodum Romanam vere significari ab Hilario putat, legitque in eodem Hilario *Julius ex Concilio* non *Julius ex Consilio*. Ejus sententiam non solum Baluzius probavit, & hanc Synodum in Collectione sua admittit, sed Pagius eamdem fuse defendit *ad an.* 349. *n.* 4. & *ad an.* 351. *n.* 10. Harduinus duplicem Synodum Romanam admittit primam an. 349., in qua Valens & Ursacius libellum pœnitentiæ obtulerint Julio Papæ. Alteram an. 351. in qua Photinus sit damnatus, & de hac altera interpretatur, quod apud eumdem Hilarium legitur; *Cum de Photino decretum ab Occidentalibus est, & ad Orientales est relatum*. Nos 1. Synodum aliquam Romanam in causa Photini admittendam omnino censemus cum Osius *apud Athanas. ep. ad Solit. p.* 839. dicat de Ursacio, & Valente. *Illi ultro Romam venerunt, & coram Episcopo Presbyterisque ibi præsentibus professionem scripto ediderunt*. Imo epistola ipsorum apud Hilarium, cui titulus est; *exemplum epistolæ, quam post renuntiationem Orientalium, Athanasium reum non esse in Urbe Roma holographa manu Valens perscripsit, & Ursacius subscript* hoc idem habet; *profitemur apud sanctitatem tuam, cunctis præsentibus Presbyteris fratribus nostris*. 2. Nulla præterea Romana Synodus apud Hilarium significari videtur.

XVII. Harduinus an. 358. Romanum Concilium collocavit, *in quo Felix Papa damnavit Constantium* allegatque Anselmum Havelbergensem *lib.* 3. *Dialog. cap.* 21. Verum nihil aliud habet Ansel-

fcſmus (*tom.* 13. *vet. edit. Spicil. Dach. p.* 251.) niſi damnatum a Felice Conſtantium, de Romano Concilio tacet; *Idem Conſtantinus Auguſtus decollari præcepit Felicem Papam ſucceſſorem Liberii; eò quod declaraverat eum hæreticum, & ſecundo rebaptizatum a præfato Euſebio Nicomediæ Epiſcopo*. Præterea, quis non videt, quæ de iterato baptiſmo hic dicuntur, merces eſſe ſequiorum ſæculorum; ut idoneum teſtimonium perhibere non poſſint. Nec vero his multo antiquiorem, aut meliorem putamus epigraphem illam *Corpus Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium*, de qua Baronius *ad an.* 357. *n.* 50. Nec tamen aliquid detractum volumus, aut legitimo ejus Pontificatui, aut ſanctitati, quam fuſe ei aſſeruit Sollerius *ad d.* 29. *Jul.* contra utrumque Pagium, Natalem Alexandrum, Chriſtianum Lupum, Tillemontium, Couſtant, atque his paulo antiquiorem Cardinalem Perronium. Certioribus fundamentis nititur Synodus a Liberio coacta, ex qua epiſtola illa prodiit, quam de receptis Epiſcopis Nicænam fidem profeſſis ſcriptam ad Orientales, Socrates Græcam habet, Latinam Epiphanius Scholaſticus; vulgarunt vero ex his Harduinus (*tom.* 1. *col.* 748.) & ceteri CC. collectores, necnon Couſtant. *col.* 417. In epiſtolæ vero hujus inſcriptione Græca habetur *Liberius Epiſcopus Italiæ, & Occidentis Epiſcopi*: Sed *Italiæ* omiſit Epiphanius; atque omittendum docet Couſtant, qui etiam bene adnotat; ſicut aliæ Orientalium litteræ quamvis Liberio, & Occidentalibus inſcriptæ, uni tamen Liberio a Socrate *lib.* 4. *cap.* 12., & Sozomeno *lib.* 6. *cap.* 10. dicuntur traditæ; ita hanc, tametſi Liberii, & Italiæ, atque Occidentalium Epiſcoporum nomen præſeferat a Sozomeno uni Liberio adſcribi, ac legati cum litteris Liberii nulla Occidentalium Epiſcoporum mentione facta rediiſſe dicuntur. Ejuſdem Synodi mentionem facit Baſilius *ep.* 74. de Euſtathio ſcribens, roganſque, *ut ſcribatur Eccleſiis, quibus quidem conditionibus ad communionem ſuſceptus ſit, ſimul vero adjiciatur, quo pacto, jam immutata ſententia gratiam a Patribus, qui tum erant, acceptam irritam reddat.* Falſam eſſe epiſtolæ inſcriptionem apud Socratem *Epiſtola Liberii... ad Epiſcopos Macedonianorum*, niſi per anticipationem quamdam id dictum exiſtimetur, & commodius Socratem *Orientales* vocaviſſe, Couſtantio conſentimus.

XVIII. Sequuntur Romanæ Synodi *Damaſo Pontifice*. Et Baluzius quidem, initio hujus Pontificatus duplicem congregatam Synodum habet; 1. cujus mentio in Vita S. Euſebii ab eodem edita *tom.* 2. *Miſcell. pag.* 142. *Mortuo autem Liberio levatur Damaſus, qui voce publica damnavit Liberium, facta Synodo cum Epiſcopis viginti & octo, & Presbyteris viginti & quinque*. Harduinus adnotavit, videri hanc vitam ſcriptam ab aliquo Luciferiano, ex ipſo ejuſdem initio. Fuſius eamdem rejiciendam docet poſt Tille-

 mon-

montium, & contra Auctorem *Defensionis declarat. Cler. Gallic.* Cl. Antonius Merenda, qui S. Damasi opera nuper illustravit *De Gest. liber. exul. pag.* 171. Alteram Baluzius admisit convocatam, ut Anastasius *in Damas.* narrat, *pro accusatione adversus eum instituta, cui adulterii crimen imputabatur ab Adversariis ejus*: Subdit vero, purgatum a XLIV. Episcopis, qui etiam damnaverint Concordium, & Callistum accusatores ejus, & projecerint de Ecclesia. Commentitiam hanc quoque idem vir doctus probat *pag.* 12. nec institutam eam contra Damasum accusationem admittit.

XIX. Libellus Synodicus V. Synodos Romanas sub Damaso recenset *n. 65. & 66. 70. 72. 76.* quarum I. Patrum XC. Auxentium damnaverit; Altera contra eumdem congregata sit pro confirmando *Homousio*. III. pro restitutione Petri Alexandrini. IV. adversus Arianos, Pneumatomachos, aliosque Hæreticos plurimos. Ultima vero decretum condiderit, quod ad Synodum Constantinopolitanam mitteret. Synodos has omnes vir eruditissimus in Damasi Annalibus illustrat. Primam cum eo censemus habitam an. *369.*, atque in ea encyclicis litteris confirmatam, & promulgatam Auxentii damnationem, Ariminensem proscriptam formulam, & confirmatam Nicænam fidem, ut habetur ex epistola Concilii nomine ad Illyricos scripta; quæ quidem latine scripta est; non Græce, ut Coustant censuit. Itaque Holsteniana (*pag. 165.*) ipsa est germanus Damasi fetus. Damnatum in eadem Synodo Ursicinum puto, etsi alii alio tempore factum velint. II. Synodus celebrata est an. 374. cum Orientales auxilium ab Occidentalibus iterum postulassent expositis iis, quibus Catholici procellis vexabantur. III. an. *376.* ex qua iisdem Orientalibus respondet; sed cum in superiori Synodica spem multam futuri auxilii Orientalibus fecisset, ob quam rem Basilio animi additi, ut constat ex ejus epistolis 253. 254. 255. nunc nullam spem facit. Cum hæc duo sibi adversentur consentimus Cl. editori Damasi operum ab una eademque Synodo profecta esse non potuisse; itaque fragmentorum quæ Holstenius vulgaverat alterum ad hanc, alterum ad superiorem Synodum pertinere. IV. Synodus cujus Alexander Hierapolitanus meminit, eique adfuit, & quarto loco Synodicus collocavit, habita est an. 380. Ex ea profecta est celebris Fidei confessio ad Paulinum. Synodicam eam fuisse Theodoretus, Vigilius Papa, Auctor Synodici, veterumque alii tradunt. Valesius *ad Theod. lib. 5. cap.* 11. scriptam putat in ea Synodo quæ habita est an. 382. missamque Paulino. Sed cum adesset tunc Paulinus, tradita in manus esset, non missa. Pagius *ad an.* 378. Synodo tribuit an. 378. ob Synodici auctoritatem; Harduinus sequenti. Nulla ratio est cur Synodico propius non hæreamus hoc demum anno eam consignanti. Conjecturas quæ idem probant plures affert

Cl.

Cl. Merenda *ad an.* 380. De hac ergo Synodo Vigilius: *Perspectis prædecessoris nostri bonæ memoriæ Damasi Synodalibus constitutis, quæ post Nicænum Concilium de Sancto Spiritu tractantibus, & convenientibus in urbe Roma Episcopis Catholicis, & bonæ memoriæ Ambrosio Mediolanensis civitatis Antistite sunt edita &c.* Ad idem Concilium referenda est epistola ad Gratianum, & Valentinianum, quam nomine Romani Concilii Sirmondus *in appendic. ad Cod. Theod.* vulgavit: quod item *cap. 16.* laudatus Merenda docet. Meletius insuper, & Paulinus in communionem recepti, pactumque admissum, quod inter eos intervenerat.

XX. V. Synodus celebrata est a. 382. cum *sequenti* scilicet *æstate* evocata fuisset, ut Theodoretus *lib. 5. Hist. cap.* 8. significat, quam fuerat Constantinopolitanum I. celebratum: nullum enim aliud Concilium ab eo *Occidentalium Episcoporum* nomine designari potuisse, nos quoque censemus. Causam convocandæ fuisse Antiochenses tumultus, cum Meletio mortuo fuisset ei alius, Flavianus nimirum, substitutus, contra jusjurandi fidem, Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 11. tradit. Nonnullorum Episcoporum nomina, qui huic Concilio intererant, inscriptio epistolæ Orientalium, qua invitati ad Concilium respondent, refert: scilicet Ambrosium, Britonem, quem Bollandus & Tillemontius Trevirensem Episcopum faciunt, Ascholium, Anemium, satis cognitos, Basilium ignotæ sedis Episcopum. Ex Oriente adfuisse Paulinum, & Epiphanium, & cum eis ad urbem tunc accessisse Hieronymum, ab aliis observatum est. Confirmata in hac Synodo Constantinopolitani I. decreta, Baronio consentimus. Holstenianum fragmentum *ex Concilio Urbis Romæ sub Damaso de explanatione fidei* huc pertinere putatur. Sed cum in eo de Eunomii potissimum hæresi agatur, ad Syn. IV. a. 380. pertinet. Holstenianus idem Codex habet præterea Decretum de Patriarchalibus sedibus, ac de recipiendis & rejiciendis libris; quæ omnia præter Vaticanum codicem, unde Holstenius edidit, habet Codex antiquissimus Monasterii Romani S. Crucis, Vallicellianus, Veronensis a Cl. Maffejo memoratus, atque alter, quem Baluzius *ad Lup. Ferr. ep.* 128. narrat se a Dacherio accepisse. Hoc ergo de Patriarchalibus Sedibus decretum cum Baronio *ad ann. 382. n. 19.* Holstenio, Blanchino, Merenda, contra Coustantium. Damaso atque huic Synodo vindicamus; quòd Pontifex Constantinopolitano canoni intercedere vellet. Decretum de libris apocryphis, quod extat, & a Clarissimis Viris, præsertim vero a Fontanino *in antiqu. Hort.* vulgatum est, genuinum esse Gelasii in Synodo alia Romana scriptum censemus. Nihilominus antea etiãm aliud fuisse a Damaso confirmatum, quod deinde a Gelasio auctum fuerit, aut alio modo dispositum, nihil nobis impedire videtur. Denique hæc Synodus Nectarii ordinationem ratam habuit, Flaviani respuit.

XXI. Sub Siricio tres Synodos novimus I. an. 386. ex qua Siricii Papæ epistola prodiit, cujus initium; *Cum in unum plurimi fratres convenissemus ad S. Apostoli Petri Reliquias*. Ea divexata est eruditorum virorum vario diversoque judicio; præsertim Quesnelli, qui eam spuriam esse contendit, Schelstrati, Baluzii *diss. de Syn. Telept.* Coustantii, qui veram tuentur. Nos his postremis accedimus, credimusque hanc primum epistolam non ad Afros, sed Italos Episcopos, qui vocati Romanæ Synodo interesse non potuerant, fuisse scriptam, postmodum per diversas provincias, encyclicarum more, delatam, ad Afros tandem primæva inscriptione mutata, & ad ipsos accomodata, pervenisse; ab iis vero, sive a Teleptensi Concilii Actis, quibus inserta erat ad nos deductam fuisse. II. adversus Jovinianum, sociosque, cujus est Synodica (*col.* 852. *coll. Hard. t.* 1.) in qua narrat Siricius, Hæreticorum illorum scripturam ad se esse perlatam, subditque; *Facto igitur Presbyterio constitit doctrinæ nostræ, idest Christianæ legi, esse contrariam* &c. Habitam a. 388. vel 389. ex eo colligitur, quod ex alia Ambrosii, qua huic respondet, constet hos Roma pulsos ad Theodosium Mediolanum confugisse; Theodosius vero a. 388. inclinante, victo Maximo, Mediolanum primo venit, anno sequente Idibus Juniis Romæ erat, actoque triumpho rediit Mediolanum. III. Synodum induxit Coustant, Siricio tribuens *Canones Synodi Romanorum ad Gallos Episcopos*. Eos Sirmondus, qui primus e codice Fossatensi, & Pithœano ediderat, cum, quo tempore conditi fuissent, deprehendere non posset, ad calcem rejiciens *tom.* 1. *collect. CC. Galliæ* suspicatus est esse Innocentii I. Eam conjecturam secutus est Labbeus & Harduinus, ad calcem epistolarum Innocentii eosdem vulgantes (*col.* 1031. *tom.* 1. *Hard.*). Verum Coustant (*p.* 683.) collatis Siricii epistolarum aliis locis, tantam sibi deprehendere similitudinem visus est, ut huic mallet attribuere. Fatendum est tamen; non esse hanc tantam, aut obviarum maxime rerum & locutionum, ut non illud potius obstare videatur, quod Innocentius *ep.* 6. *cap.* 3. quæstione proposita *Super his, qui post baptismum administraverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam*, respondit; *de his nihil legimus a majoribus definitum*. Nam adeo similis quæstio in his XIII. proponitur & definitur, ut illud non ita præcise asserere videtur licuisse Innocentio, vel hanc saltem non reticere debuisse.

XXII. Atque hic nimirum subsistimus; quod nullius præterea Romanæ Synodi memoriam primis IV. Sæculis nos quidem invenerimus; ceteras autem vel nominare infinitum foret. Solum hic animadvertendum est, anno CD. Romanam aliam Synodum sub Anastasio poni ab Harduino; quòd eam significare putet Canonem LXVIII. Africanum (*tom.* 1. 902.) quo cavetur, ut Clerici Donati-

tiſtarum in Eccleſia Catholica ſuſcipiantur . Dicitur enim ; *Quod multarum & pæne omnium Africanarum Eccleſiarum , in quibus talis error exortus eſt , exempla teſtantur , non ut Concilium , quod in transſmarinis partibus de hac re factum eſt diſſolvatur , ſed ut illud maneat , circa eos , qui ſic tranſire ad Catholicam volunt , ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur* . Concilii ergo tranſmarini nomine, Romanum eſſe intelligendum putat Harduinus, atque inde profectas eſſe eas litteras, quæ ibidem poſt Can. LXV. recitantur: *In hoc Concilio litteræ leguntur Anaſtaſii Romani Pontificis de Donatiſtis Catholicos Epiſcopos admonentis* . Couſtant *col.* 734. tranſmarinum illud Concilium vult eſſe Capuanum ; nobis tamen Romanum ibidem deſignari placet . Atque hinc colligimus quantum Africani PP. Romanis Conciliis honorem tributum vellent .

L A V S   D E O.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. De Rubeis Patr. Const. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. Mag. Sacri Palatii Apost. Socius, Ord. Præd.